UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvs De Conscientia, De Peccatis, De Legibvs, De Fide, Spe, Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 4. An peccatum veniale fiat mortale, si sæpiùs multiplicetur; & quid de scandalo?

urn:nbn:de:hbz:466:1-76540

Visual Library

quin priùs expellat concubinam: hi ſunt Rodriguez *tom.2. ſum. cap.46 n.17* Nauar.*c.p.16.n.20* Anton. Fernand. *inſtruct. confeſſ. document.5.n.4.fol.32*, Margarit. *confeſſor. fol.30.* Chapiauil. *de caſibus reſeruatis in fine fol 386.* Syluester *verbo concubinarius, quæſt. 2.* & certè meo iudicio videtur ferè deciſa hæc controuerſia à D. Auguſtino *in cap. ſatisfactio. de pœnitent, diſt.3.* ibi, *ſatisfactio pœnitentia eſt peccatorum cauſas excidere, neque earum ſuggeſtionibus aditum indulgere:* & ibi Gloſſ. verbo *cauſa*, ait, vitioſum radicem nec ſufficit ramos incidere, & opportunitates, vel occaſiones peccandi, & *c. valet interdum.9. diſt.81.* ibi, *Congruum eſt enim inde corporaliter auelli, vbi quiſque illecebris deſeruiuit, & cap. legutur.24.q.2.* Gelaſius Papa admonet Fauſtum, abſoluendos non fore, qui in errore & occaſione peccandi ſua culpa immerſi ſunt,

19 Dico vltimò idem quod dictum eſt de vero concubinario, dicendum eſſe de eo, qui eſt in hominum opinione, ac proinde eodem modo eſſe, vel non eſſe abſoluendum: quia quilibet tenetur non ſolùm à ſe remouere occaſionem peccandi, ſed quæ talis exiſtimatur eſſe ob ſcandalum. Syluester *verbo concubinarius quæſt.2.* Nauarr. *ſum. cap.3.n.10. & cap.16.n.10.* Graffis *lib.1 deciſ.1.part.c.28.num.8.* Chapiauil, *tract. de caſibus reſeruatis in examine confeſſariorum*, qui habetur in fine libri, *fol.386.* Ioannes Sanchez *diſp. ſelectar. num.15.* Villalobos *ſum. tract.11. difficult.25.num 4.*

§. IV.

An peccatum veniale fiat mortale, ſi ſæpiùs multiplicetur, & quid de ſcandalo.

1 *Ex ſola multiplicitate nullum peccatũ veniale fit mortale.*
2 *Proponuntur aliqua in contrarium.*
3 *Soluuntur ſupradicta.*
4 *Peccata, quæ vniantur in aliquo tertio, fieri poſſunt mortalia, ſi multiplicentur, ſecus ſi nullam habeant vnionem.*
5 *Comedens ſæpè die ieiunij, tametſi ſingulis vicibus parum, violare grauite poteſt ieiunium, ſecus ſi pluribus diſtinctis diebus.*
6 *Intemperanter comedens peruenire poteſt ad mortale peccatum.*
7 *Laborans die feſto pluries, tametſi ſingulis vicibus parum, violare poteſt feſtum.*
8 *Quid dicendũm de eo, qui cauſa eſt, vt plures modicum quid accipiant die ieiunij, vel modicum laborent die feſto.*
9 *Quid de omittente ſingulis diebus orationem Dominicam recitare, quam tenetur ex voto.*
10 *Quid ſi plura leuia vota violes eodem die. Proponitur prima ſententia te peccare mortaliter.*
11 *Probabilius eſt oppoſitum.*
12 *Reſpondetur fundamentis n.10. adductis.*
12 *Si peccatum de ſe veniale grauiter proximum ſcandalizat, peccatum eſt graue. Reliqua de ſcandalo remittuntur tractanda tract. de charit.*

1 CErtum eſt apud omnes Catholicos, nullum peccatum veniale ex genere ſuo fieri mortale ex ſola multiplicatione; quare ſi verbum otioſum eſt ſolum peccatum veniale, etiamſi ſæpiùs multiplicetur, veniale ſemper conſtituet, & idem eſt de aliis peccatis. Ratio eſt manifeſta: quia multiplicatio non conſtituit actum in alia ſpecie, neque auget peccati grauitatem intenſiuè, ſed ſolùm extenſiuè, hoc eſt, plura peccata eiuſdem rationis conſtituit: vt bene probat Suarez *lib 3. de legibus, c.28, n.9.* Azor. *lib.4. inſtit. moralium. cap 9.q.15.*

2 Contrarium huius concluſionis videtur docere Vaſquez 1.2.*quæſt.96. diſp.158. cap.6. num.60.* vbi ait, tranſgreſſionem legis frequentem eſſe mortalem, quia notabiliter læditur finis legiſlatoris, etſi aliàs venialis eſſet. Et confirmari poteſt in religioſis, quorum regulæ communes non ſolent ad culpam grauem, imò neque leuem obligare, quas tamen ſi paſſim tranſgrediantur, peccant lethaliter, eo quòd videantur illa contemnere, & periculo tranſgrediendi vota exponi. tradit Abbas *c. nam concupiſcentiam, num.2. & 5. de conſtituit.* & ibi Felin. *n.11. in fine.* Syluest. *religio, 1. quæſt 12, dicto 4.* Valent. *2.2. diſp.10. q.4. punct.5. verſic. atque ita eſt.*

3 Verùm hæc non obſtant; quominus veriſſimum ſit ex conſuetudine, & multiplicatione venialis ex genere nunquam fieri mortale: quia finis legiſlatoris eodem modo læditur actibus repetitis, ac ſi repetiti non eſſent: quia, vt ſuppono, illi actus non vniuntur inter ſe, neque in obiecto, & conſequenter non eſt, vnde mortale peccatum poſſint conſtituere. Exemplum autem de religioſo nobis non contradicit. Fatemur namque, ſi ex tranſgreſſione plurium regularum ad culpam non obligantium exponeretur religioſus periculo tranſgrediendi vota, ob periculum eſſe mortale: at non video qua ratione huic periculo exponatur. Nihilominus tamen credo peccaturum mortaliter, non ob ſupradictum periculum, ſed ob ſcandalum aliorum, & ſpecialem religionis ruinam, quæ ſine dubio oriretur ex illo tepido, & defectuoſo procedendi modo; quis enim dubitare poteſt religioſum, qui paſſim ſilentium violaret, cubicula ingrederetur, epiſtolas ſine licentia ſcriberet, & hæc paruipenderet, ſcandalum fore aliis religioſis, & ruinam religioni non mediocrem allaturum, & tanquam peſtem eſſe omnino à cœtu, & communicatione aliorum excludendum: ergo peccat mortaliter, ſi hæc faciat, vel propoſitum habeat ea faciendi, quia religioſus tenetur ſub mortali ita viuere, & mores ſuos componere, vt meritò in religione ſuſtineri poſſit; ita tradit aliis relatis Thomas Sanchez *lib.6, in Decalog. cap.4. num.18. & ſeqq.*

4 Quòd ſi de peccatis venialibus, quæ ex paruitate materiæ talia ſunt, loquamur, diſtinguendum eſt, alia enim inter ſe, & in ordine ad aliquem tertium, ſeu obiectum vniuntur, alia verò non. Quæ in aliquo tertio non vniuntur, qualia ſunt iuramenta vera, ſed indeliberata, hoc eſt, iudicia carentia, quantumuis multiplicentur, ſemper retinent eandem malitiam. At peccata, quæ in aliquo tertio vniuntur, ita accreſcit eorum malitia ex multiplicatione, vt peccatum; quod aliàs veniale foret, mortale ſit ob peccata venialia, quæ iam facta ſupponit. Explico concluſionem. Furatis à Petro nummum regalem, committis peccatum veniale, repetis furtum aliquoties, ſine dubio deuenies ad furtum, quod verè peccatum mortale ſit: non quia ex venialibus peccatis, mortale aliquod fiat, ſed quia illud peccatum furti, quòd aliàs veniale foret, ſi alia furta facta non ſupponeret, fit mortale: quia illo furto completur damnum notabile, quod verè tale eſſe iudicatur: quod clariſſimè conſtat, quando rem acceptam retines; pono enim quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale eſſe quatuor nummos argenteos; accepiſti tres, ſi poſtea vnum, vel duos accipias, quis dubitat te peccaturum mortaliter, cum duos accipis, ſiquidem verè es acceptor, & poſſeſſor grauis quantitatis alienæ: & idem eſt, etiam ſi de facto illos tres nummos argenteos non poſſideres, quia ſufficit te poſſidere obligationem illa reſtituendi, quia hæc eſt poſſeſſio in virtute. Ratio eſt, quia materia præcedentium peccatorum venialium, vnitur moraliter cum materia huius vltimi peccati: ac proinde hoc furto vltimo voluntariè amplecteris totam illam materiam; ſiquidem intendis grauem quantitatem à Petro accipere, grauéque damnum illi inferre. Quocirca quoties obiecta peccatorum venialium vniri poſſunt, & moraliter vnum efficere, poteris peccando venialiter ad mortale peccatum peruenire. ſic Vaſquez 1.2. *diſp.146.c,2,* Sanchez *lib.1. in Decalog. cap.4. num.9. & 10.* Bonacina *diſp.2. de peccat. q.3.p.5. n.20.* Suarez *lib 3. de legib. cap.28.n.11.*

5 Ex his infero primò, te comedentem ſæpiùs die ieiunij, violare ieiunium vltima illa comeſtione, quæ ad notabilem quantitatem peruenit; quia illa vltima comeſtio, etſi per ſe ſumpta, leuiter temperantiam læderet: at vt coniuncta aliis, & illas ſupponens, grauiter lædit; moraliter enim illis coniungitur, & quaſi eſſet ſimul cum aliis facta reputari debet: ita Vaſquez *ſuprà. num.4. & diſput.258. cap.6. num.60.* Sanchez *num.11. & 15* Bonacina *num.27.* Suar. *lib.5. de voto cap.5. num.12.* Secus dicendum, ſi diuerſis ieiunij diebus parum aliquid comedas; vel propoſitum habeas parum aliquid ſingulis diebus comedendi, quia vnum ieiunium cum alio non continuatur, neque comeſtio vno die facta, cum alterius diei comeſtione: ſic ſupradicti Doctores. Neque propoſitum fertur in omnes illas comeſtiones coniunctim ſumptas, ſed in omnes ſeparatas, & ſingulis diebus debitas, & prout debitæ ſunt: quæ cùm ſolùm ſint debitæ ſub peccato veniali, nunquam eſt propoſitum de mortali: ita docet optimè Suarez in ſimili *lib.5. de voto, cap.5. num.16 §. difficultas.*

6 Infero ſecundò, ſi intemperanter cibum ſumas, & vltima comeſtione agnoſcas tibi notabile damnum inferri: peccas mortaliter, quia iam amplecteris obiectum grauiter diſſonum rationi; quod etſi ſecundùm ſe graue non eſſet: at graue eſt redditum ob multiplicem præcedentem comeſtionem, ſic Vaſquez, Sanchez, & Bonacina *ſuprà.*

7 Infero tertiò te laborantem ſimiliter die feſto aliquoties, etſi ſingulis vicibus parum tempus conſumas, peccare mortaliter, quando peruenis ad quantitatem notabilem, verbi gratia, duarum horarum, quia omnes illi labores moraliter vniuntur, & quaſi in eodem tempore facti reputantur: ſiquidem verum eſt dicere te laboraſſe ille die feſto vltra duas horas; ſecus verò, ſi per quadrantem ſingulis feſtis laborares: quia tunc ſicut feſta diuerſa ſunt, ita & labores ſunt diuerſi, neque vnum cum alio continuatur: ſic Sanchez *cap.4. num.11.* Bonacina *num.25.*

8 Infero quartò, non peccaturum mortaliter, qui eodem die ieiunij in cauſa eſt, vt plures modicum quid accipiant, & in die feſto per breue ſpatium ſimiliter laborent: quia actiones cuiuslibet perſonæ cum actionibus alterius nullo modo continuantur: ſic Bonac. *c.26,* Sanchez *n.11. & 12.*

9 Infero quintò, quid dicendum ſit, ſi omittas plures dies recitare orationem Dominicam, vel dare eleemoſynam paruam, quam ſingulis diebus dare promiſiſti, an pecces mortaliter? Et quidem ſi in honorem illius diei, vel remedium alicuius neceſſitatis ſingulis diebus facta eſt promiſſio, cenſeo te

non

non peccaturum mortaliter, etſi pluries omittas; quia quælibet omiſſio non continuatur moraliter cum alia neque vnum quid efficiunt; ſecùs verò dicendum, quando intentio vouentis non determinat tempus, vt finiat obligationem, ſed potius vt illam augeat: vt contingit in ſolutione debitorum, tempus enim præfigitur debito ſoluendo, non vt extinguat debita, ſi de facto non fiat ſolutio, ſed ne vlterius protrahatur ſolutio, ac proinde adueniente termino, & debito non ſoluto, magis debitor eſt: quando autem hoc modo recitatio, vel eleemoſyna promittitur, nemini eſt dubium poſſe peruenire ad aliquem diem, in quo omiſſio eleemoſynæ, vel recitatio ſit grauis, quia tunc non ſolùm omittitur eleemoſyna, vel recitatio illius diei: ſed recitatio, & eleemoſyna omnium dierum præcedentium quæ debita tunc eſt ac proinde eſt grauis: & ita tenet Bonacin. *diſp.2.de peccat.q.3.punct.5.n.23.*Sanch.*lib.1.in Decalog.cap.4. n.14.*Suar.*lib.5.de voto,c.5.n.2.9.& 10.*

Sed inquire, quando cenſebitur vouens annectere obligationem ad diem, quando non?

Reſpondeo, quoties aliquod motiuum in ſingulis diebus relucet, quale ſolet relucere in recitando quotidie calculo virgineo, nullo modo cenſetur vouens in diem ſequentem prorogare obligationem: & in votis perſonalibus ita ſemper eſt intelligendum, dum aliud non conſtat, vt bene dixit.Sotus *lib.7.de inſtit.q.2.art.1.col.4.verſic.concluſio ergo.*Aragon.*2.2.quæſt.88. art.3.paulo poſt principium, concl.3.* Quapropter Suarez *lib.5. de voto, cap.5.num.12.& 13.* & alibi ſæpè: dicit rarò contingere in votis perſonalibus obligationem factam pro vno die in ſequentem prorogari: in votis autem realibus faciliùs poteſt præſumi intentio prorogandi obligationem, eo quod videatur non ſolum attendi religioſum ſeruitium, ſed etiam neceſſitatis alicuius remedium, quod ſemper habet eandem opportunitatem. Quapropter Medina 1.2. *quæſt.88.art.4.ad 4.* Petrus de Ledeſma 2.*tom.ſumm.tract.10.cap.3.dub.1.* & multis relatis Garcia *de benefic.3.part.cap.1.num.171.* ſentiunt in votis realibus obligationem in ſequentem diem ſemper prorogari credo tamen ſic præſumi, dum aliter non conſtat: conſtaret autem, ſi in honorem Virginis promiſſa eſſet eleemoſyna danda ſingulis Sabbatis, vel in eius feſtiuitatibus: non enim ad ſequentes dies tranſiret, ſed eodem modo iudicandum eſſet de tali eleemoſyna, ac de ieiunio tunc promiſſo.

10 Maior difficultas eſt, an pecces mortaliter, ſi violes plura vota eodem die, quorum quodlibet de re leui ſit, & omnia ſimul grauem materiam conſtituant? Verbi gratia, promiſiſti Deo in honorem Virginis ſepties ſalutationem Angelicam recitare; alio voto in honorem paſſionis quinquies orationem Dominicam, & alio voto alias orationes in honorem alicuius Sancti, peccesne mortaliter, ſi omnia hæc omittas.

Bonacina *diſp.3.quæſt.3.punct.6.num.29.* exiſtimat te peccaturum mortaliter,& idem tradit Sanchez *lib.1.in Decal.cap 4. num.16.* non ſolùm in votis, quæ ſunt eiuſdem rationis, ſed etiam in votis diuerſis, vt ſi vno voto promiſiſti aliquas leues orationes recitare, & alio eleemoſynam, alio opus aliquod leuis charitatis, Mouentur primò, quia omnia illa vota eiuſdem rationis ſunt: obligant enim ſub materia religionis. Ergo violans illa, violat virtutem religionis grauiter. Secundò per accidens eſt omnes illas orationes multiplici voto eſſe Deo promiſſas, poterant enim vnico voto promiſſæ eſſe. At ſi vnico voto promiſſæ fuiſſent, & de facto omitterentur, peccatum foret mortale; ergo etiam eſt mortale, quando multiplici voto fuerint promiſſæ Confirmo. Si Petro magnam pecuniæ ſummam promiſiſſes promiſſionibus diuerſis, quarum ſingulæ promiſſiones leuem materiam continerent; eodem modo peccares omittendo pecuniæ ſolutionem, ac ſi vnica promiſſione pecunia illa promiſſa ſit, quia per accidens eſt promiſſam eſſe vnica, vel multiplici promiſſione: ita ſimiliter in promiſſionibus Deo factis videtur dicendum, cùm ad eius honorem, & cultum parum referat, multiplici, vel vnico actu omnes illas orationes promiſſas eſſe.

11 Verùm etſi ſupradicta ſententia probabilis ſit, mihi probabilior videtur oppoſita: nempe in ſupradicto caſu non eſſe peccatum mortale omiſſionem illorum votorum: ita colligitur ex Franciſc.Suarez *lib.5.de voto,c.5.num.11.& 12.*vbi affirmat, ſi promiſiſti ſingulis horis eleuare mentem ad Deum, vel quoties Miſſam audires, nihil leue ex illa omitteres, etſi toto die non eleuares mentem ad Deum, & in pluribus Miſſis leue quid omitteres, nunquam te peccaturum mortaliter; & reddit rationem, quia vna materia cum alia non colligatur; ſecus verò ſi promiſiſſes recitare officium diuinum integrè, & in prima omitteres Pſalmum, in tertia, & ſic in ſingulis horis, quia omnes illæ horæ vnum officium diurnum conſtituunt, & omnes illæ omiſſiones in vnum adunantur. At in ſupradicto caſu illa vota non vniuntur in aliquo tertio, ſed quodlibet ex illis eſt ſeparum, & diſtinctum. Ergo violatio vnius non poteſt augere violationem alterius. Neque obſtat illa vota vniri in virtute religionis: nam etiamſi promiſiſſes Dominicis ſingulis Dominicam orationem recitare, & multis diebus omitteres, non peccares; quia eſto omnes illæ recitationes aduersùs religionis virtutem ſint, quia tamen inter ſe non vniuntur, ideo grauiter virtus religionis non læditur; ſed omnia illa vota (etſi ſint vno die implenda) non tamen vniuntur inter ſe, ſed ita diſtincta ſunt, ac ſi quodlibet illorum quodlibet diſtincto die præſtandum eſſet, quod exinde probatur: quia quodlibet votum in ſpecialem reuerentiam, & honorem alicuius Sancti, vel myſterij diuini factum eſt, in quo aliud votum non conuenit. Ergo ſunt inter ſe omnino diſparata. Ergo non peccas mortaliter, eſto omnia illa omittas.

12 Ad rationem contrariam facile reſpondetur. Admitto omnia illa vota vniri in virtute religionis, ſed hæc vnio non ſufficit, vt ex omiſſione illius grauitas alterius accreſcat: debebant enim inter ſe vota vniri.

Ad ſecundum reſpondeo impoſſibile eſſe vnico formali voto promitti, eſto vnico actu omnes illæ orationes promitterentur, eſt enim ille actus virtualiter multiplex, & de re multiplici, ſicuti eſt, quando vnico actu promittis ſingulis Sabbatis recitare ſalutationem Angelicam,quodlibet enim Sabbato abſoluitur promiſſum illius diei, neque vltrà progreditur, neque recitatio vnius Sabbati cum recitatione alterius coniungitur: ſecus verò eſt in promiſſione pecuniæ homini facta, quæ cùm in eius vtilitatem cedat, omnes illæ pecuniæ promiſſæ in huiuſmodi finé, qui eſt immediatus, adunantur, &ſiue vnica promiſſione, ſiue multiplici promiſſæ ſint, ſiue vnico die præſtandæ, ſiue multis diebus: at verò recitationes non vniuntur, cùm quælibet cedat in honorem particularis Sancti, vel myſterij.

13 An peccatum veniale, vel opus indifferens mortale reddatur ob ſcandalum? Certum eſt reddi mortale, ſi enim tuo dicto, vel facto inducas ad peccatum mortale, peccas mortaliter, quia particeps es peccati alterius: & ita docet D. Thomas *1.2.quæſt.88.art.5.corp.* & ibi interpretes Toletus *lib.5.ſumm. cap.2.n.3.in fin.* Suarez *5.tom.in 3.part.diſp.18.ſect.3.num.7.* Thom.Sanch.*lib.1.in Decal.cap.6.num.11.*Vaſquez *de ſcandalo quæſt.43.art.8.dub.2.num,17.verſic. vera autem.* Qua autem ratione hoc contingat, & quibus modis ſcandalum mortale ſit, cùm opus ſit tantum veniale, vel indifferens, latè dicemus tract. de charitate, diſp, de ſcandalo.

PVNCTVM X.

An libera complacentia, & delectatio de obiecto malo, quæque dicitur delectatio, moroſa abſque propoſito exequendi illud, ſit peccatum mortale.

§. I.

Proponuntur aliqua c rta.

1 *Explicatur differentia inter delectationem de obiecto & eius deſiderium.*
2 *Delectatio de cogitatione obiecti mali, mala non eſt.*
2 *Idem eſt dicendum, ſi delecteris de modo aliquo mirabili, & artificioſo.*
4 *Limitantur ſupradicta.*
5 *Quomodo cognoſcendum ſit,procedatne delectatio ex artificio, & cogitatione, vel ex obiecto malo.*
6 *Delectatio de obiecto formaliter malo, ſemper eſt mala.*

1 PRimò certum eſt magnam eſſe differentiam inter delectationem de aliquo obiecto, & eius deſiderium: ſæpè enim licita eſt delectatio de aliquo obiecto, cuius tamen non eſt licitum deſiderium: licitum enim eſt complacere de ludo, qui fuit cauſa omiſſionis Miſſæ, non tamen licet illud deſiderare,& licet diſplicere, & tractari de auditione Miſſæ facta in die feſto ob laborem annexum, non tamen licet deſiderare Miſſam non audire. Ratio eſt, quia deſiderium, ſeu voluntas efficax alicuius obiecti tendit ad ponendum obiectum cum omnibus ſuis circumſtantiis. Ergo ab obiecto talibus circumſtantiis veſtito ſeparari non poteſt malitia, neque etiam à voluntate ſeparari poterat; accipit enim voluntas malitiam ab obiecto: at delectatio non tendit ad ponendum obiectum, ſed quaſi ſupponit iam poſitum, illúdque ſecundum ſe reſpicit, ac proinde facili negotio denudari poteſt à malitia: ſiquidem neque directè,neque indirectè in illam fertur,cùm nihil ponat, ex quo malitia ſequatur. E contra verò poteſt eſſe aliquod deſiderium ab obiecto licito, cuius tamen complacentia non ſit licita, deſiderare enim potes copulam habere cum Maria, caſu quo ſit tua legitima vxor, neque tu ſis aliquo vinculo impeditus: at complacere in tali copula, non eſt ita certum licere. Quæ omnia probant deſiderium, & voluntatem efficacem ſumere ſuam bonitatem, & malitiam ab obiecto: complacentiam autem ex conformitate, vel deformitate immediata cum virtute: ſic Vaſq. 1.2.*diſp.111.cap.3.* Salas *tract.13.diſp.6.ſect.5.n.50.*Baſil.de Leon *lib.10.de matrim.c.16. §.1.7.*Bonac.de *matrim.q.4.p.8.n.3.15.& 16.*

2 Secundò certum eſt delectationem de cogitatione obiecti mali,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN